

variolis, in puteum, omnium, qui in pago Mokroluka erant profundissimum incidi, in quo non sine singulari divina providentia, ope baculi, muro supra aquam per transversum infixi, quem die casum huncce præcedente ipse puteo injeceram, a suffocatione fui præservatus. Postquam enim putei aquæ me a fundo in summitatem elevassent, baculum illum manu arripui, nec dimisi, priusquam vicinorum, ac imprimis certi Rákócziani militis, qui se in puteum demiserat opera, fuisset extractus, quod in tanta confusione & consternatione post bihorium tantum fuisse factum, in Patris mei notatis reperi. Summe Venerandum & post fata senem *Andream Sextium*, Sacrorum apud Alnovienses tunc Antistitem, & Venerabilis Contubernii Gömöriensis Seniorem non piguit certe Mokrolukam venire, puteique illius mensuram, cum meæ ætatis, nominis, anni item mensis & diei quo casus hic acciderat, adscriptione diariis suis inferere. Ego etiam, quotiescunque mihi contigit pagum hunc transire, non neglexi puteum quoque inspicere, Deoque pro mei liberatione vota persolvere. Nondum a subsecutis casum hunc febribus plene convalueram, dum puellus in Scholam properassem, in aliud vitæ incidi periculum.